

te etiam ipsa suas triremes in huius belli gerendi usum. Haec autem classis praesto et parata sit ad quaecumque Italiae partem ipsis confoederatis opportunum videbitur pro ratione belli gerendi: aletur vero eadem classis a nominatis partibus, videlicet duodecim triremes a Christianissimo rege, tresdecim ab illustrissimo Venetorum Dominio, reliquae vero tres a Sanctissimo Domino nostro Papa usque ad perfectum bellum et quoad ipsis confoederatis necessarium et conveniens esse videbitur: hac tamen conditione praestabit Christianissimus Rex duodecim triremes praedictas ut si necesse fuerit easdem revocare possit ad res suas defendendas, casu quo bellum maritimum ab hostibus sibi inferetur in Provincia vel aliis locis maritimis illis coniunctis, in quo casu si duodecim illae suae triremes non sufficerent magnitudoque periculi maritimi maiorem classem postulare videretur, nisi triremes coeterae pro bello confoederatorum in Italia occupatae fuerint etiam illae in auxilium ei mittentur, exceptis tribus Sanctissimi Domini nostri Papae si ei necessariae essent pro custodia litorum Italiae ab infidelibus piratis: quae omnes triremes ipsi Christianissimo Regi servient tam ad illius ac regni Franciae hostes e Provincia aut aliis locis ut dictum est propulsandos rebusque prout opus fuerit succurrendum, quam ad liberandos illustrissimos eius filios, uti veros amicos et bonos confoederatos sibi invicem adesse atque auxiliari convenit.

Item, ad omnem suspicionem tollendam illustrissimo duci Mediolanensi ob ea quae praeteritis temporibus contigerunt, promittit Rex Christianissimus se nullo tempore quidquam moturum, gesturumve adversus ipsum seu Mediolanensem statum, sed permissurum ut libere et pacifice gaudeat illo, et fruatur absque ulla perturbatione aut molestia, imo et ipsum se omni tempore defensurum ad id pariter concurrentibus Italiae confoederatis a Romanorum Rege, sive a serenissimo Principe eius fratre, si bellum ei ab illis inferretur et a quibusvis aliis regibus ac potentatibus, illis copiis atque auxiliis quae pro bello italico in superioribus promittit articulis, auxiliante etiam ipso Duce regno Franciae si ei bellum inferretur, eisdem auxiliis et copiis quas ad bellum italicum contribuere tenetur. Haec tamen omnia ea conditione et lege, quod praefatus Mediolani Dux, ipsi Christianissimo Regi, tum ratione iurium quae in praefato ducatu Mediolani, tam maiores sui quam ipse obtinuerunt et praetenderunt tum magnorum sumptuum impensarumque ipsius causa factarum, annum censum sive pensionem in

civitate Lugduniensi persolvere deberet, quae conveniens videbitur tum Sanctissimo Domino nostro Papae tum illustrissimo Duci inclitoque Venetorum dominio, sed ad minus quinquaginta millium nummum aureorum, pro quibus annuatim solvendis dabit sufficientem securitatem: si vero cautiones nunc praestare minime possit, respondebunt pro eo Sanctissimus Dominus noster Papa inclitumque Venetorum Dominium. Tenebitur praeterea ipse Mediolanensis Dux alere illustrissimoque domino Maximiliano fratri suo pensionem assignare ad se pro dignitate alendum condecentem, ipsumque Christianissimum Regem sic ab annua pensione illa liberabit quam dicto Maximiliano solvere tenetur.

Item, cum praesens capitulatio foedusque spectet non modo ad constituendam in praesenti tempore pacem et Italiae libertatem sed ut firma ac aeterna permaneat, liceatque omnibus huius felicitatis esse participes quae Deo auxiliante per hanc unionem futura est, conventum est ut restituantur libere ad universa bona sua cum plena remissione omnes qui ea amiserunt quomocumque et quod partes regias secuti fuerint, ac etiam in patriam si redire voluerint, et praesertim magnificus dominus Albertus Carpensis comes.

Item, promittit Christianissimus Rex ad magis declarandam bonam voluntatem suam erga ipsum Mediolani Ducem, ad eum pariter securum prorsus reddendum affinitate sibi illum coniungere, tradendo statim ei in uxorem ex regio sanguine progenitam quam Sanctissimus Dominus noster Papa opportunam atque ei condecentem iudicabit: rursus ad eundem omnino confirmandum atque in ipso Mediolani ducatu solidandum pollicetur se curaturum, et omnem operam daturum auctoritatemque suam interpositurum apud magnificos dominos confoederatos Helvetiorum, ut cum illustrissimo ipso Mediolani Duce iungantur ad praefati ducatus defensionem et tutelam, ea forma, conditionibus et modis quibus iuncti erant sibi cum dictum Mediolani ducatum obtinebat, quo casu pollicetur etiam se liberaturum dictos dominos Helvetios ab obligatione illa quam habebant secum quo ad defendendum pro Maestate sua ipsum Mediolani statum. Quo casu praefatus Mediolani Dux Helvetiis pensiones generales ac particulares persolvere tenebitur quas singulis annis Rex Christianissimus solvebat pro defensione dicti ducatus. Eas autem pensiones singulis annis in festo Purificationis praefatus Dux mittet Helvetiis apud quos comperiet unum ab ipso Christianissimo Rege deputatum, quorum manibus persolventur dictae pensiones ipsis Helvetiis,